

Wandal. Cæsarum episcopus Arelat. apud Cypr. ejus discipulum in vita.

Defendendæ viduæ et pupilli? Enituit in hoc opere S. Ivo, quem anno 1347. Clemens VI. pap. retulit in sanctorum numerum. De quo inter alia scribit auctor vitæ ejus apud Surium, 29. maii. «Pupillos et orphanos egregie tuebatur, et eorum causa diversis in locis adibat judicia, patronum se illis exhibens, neque tamen id spe alicujus muneris aut præmii, sed pietate et justitia permotus; imo vero suis impendiis illorum causas defendebat apud judices, ut posset a Domino audire: Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Inde factum est, ut in illa regione merito appellatus sit advocatus pauperum.» Et antè: «Orphani, afflicti, calamitosi homines ejus fovebantur humanitate et patrocinii; inter discordes conciliabat pacem et amicitiam; eos, qui carceribus detinebantur, hortabatur ad patientiam, et cum proferenda ab ipso esset in judicio sententia, sine lacrymis id non faciebat. In misericordiæ opera totum se impendebat; toto pectore quæ sunt hujus mundi despiciens et celestibus semperque mansuris bonis inhians.» Et inferius: «Alienigenas, pauperes; item egenos, mala affectos valetudine, deformes, haud secus ac fratres suos humaniter excepit, ad mensam sibi assistere voluit, de cibis suis illis apposuit, lectos apparavit, propriis manibus illorum pedes abluit.» Unde et per miraculum panes in pauperes erogando sibi multiplicari, ac Christum ipsum, aut certe angelum Christi vicarium, specie pauperis, mensæ socium habere meruit.

Sepeliendi mortui? Celeberrimi in hoc actu Joseph et Nicodemus, immortale pietatis exemplum nobis reliquerunt, cum Christum Dominum sepelierunt. Secundum hos Asterius senator Cæsareæ qui cum S. Marini martyris corpus capite truncatum, subjectis humeris et substrata, qua induebatur, veste exciperet, et deferret ad sepulturam, honorem, quem martyri detulit, continuo et ipse martyr accepit, Bar. in martyrol. 3. martii.

Quare, auditores, apprehendamus quæso securim, incipiamus, si nondum cœpimus, pergamus fabricare nobis arcam; lævigemus ac purgemus ponderosas opum trabes ab omni iniquitate et superfluitate: mittamus ligna super ligna, eleemosynam, quo perficiatur et solidetur arca, meritum vitæ æternæ, ut in tempore diluvii, mortis, inquam, articulo, securi navigare, imbres æque ac fluctus contemnere possimus. Quid putatis dixisse in seipsos, miseros illos homines, qui vaticinio illius Noe credere noluerunt,

tandem vero experti sunt diluvii incrementum! O quam doluerunt: quod exemplo Noe non fabricarint sibi navim! O Noe, credo, dixerunt: O Noe, quam tu sapuisti, et quam nos despiciamus! O si jam liceret, vel naviculam nobis parare, quo pretio eam non emeremus! Quid prodest nobis jam pecunias corrogasse, quas uno tractu fluctus hauriunt? Quid prosunt pecuniarum trabes, quibus innatamus ad unam forte horam, brevi demergendi? *Quid profuit nobis superbia? Aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Transierunt omnia illa, nullo nostro fructu. Ne ergo cum Phrygibus illis sero sapiamus, nunc, nunc, auditores, faciamus nobis arcam de lignis lævigatis: faciamus nobis amicos, inquam, de mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.

CONCIO IX.

INCITAMENTA AD ORNATUM TEMPLORUM PROMOVENDUM.

I. Quia templa domus Dei et patronorum. — II. Quia est judex religionis nostræ. — III. Quia hæc munificentia melior videtur eleemosyna. — IV. Quia hæc ratione divitiæ purgari possunt, et peccata redimi. — V. Quia magna hujus munificentiae merces.

THEMA.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. XVI.

Debemus certe manibus palpate, quod Deus noster non velit mortem nostram, sed ut magis convertamur et vivamus. Ecce enim iterum in hodierno evangelio erudit nos fideliter, qua ratione iram Dei effugere et pericula imminentis judicii cavere possimus, dum docet amicos nobis quærendos, qui in nostra defectione recipiant nos in æterna tabernacula. Si plures eadem navi veheremur, et peritus quispiam moneret, navem certo in ponte proximo collidendam et frangendam esse: non est mihi dubium, quin omnes nos sedulo circumspiceremus, si quam in fluvio trabem aut stipitem, cui adhæreret, cerneremus, vel certe alicui perito et forti natatori nos adjungeremus, eumque blandissimis verbis demulceremus, ut nos natandi imperitos, secum eveheret. Hoc facit hodie Christus, videt enim certissimo navem corporis nostri paulo post ad pontem mortis allidendam, propterea monet nos ut nobis provideamus de opitulatore: *Facite vobis amicos, etc.* Sed qui sunt isti amici? Pauperes primo, natatores optimi, quia leves et expe-

diti, graves opibus divites facile secum evehent. Deinde sancti, Ecclesiarum patroni, hi enim proprie sunt amici illi qui ad æterna tabernacula, in quibus jam securi habitant, recipere nos possunt. Possumus vero eos facere amicos nostros, si eorum aedes sacras, quas in terris habent, ditemus et ornemus nostra munificentia; ad quam invitant nos non pauca, nec levia argumenta.

I. Quia templa sunt domus Dei, et patroni communis nostri patris patriæ. Decet autem omni modo uti regnum vel gens aliqua, si velit regem suum habitare secum, extruat ei palatium pro regis dignitate. Itaque decet etiam ut Deo præparetur habitatio digna quantum fieri potest, si velimus eum habitare nobiscum. Tametsi enim totus orbis templum quoddam est, in cujus angulis omnibus necessario semper adest, id tamen nobis nequaquam sufficere debet, qui volumus præterea ut singulari suo adjutorio et benevolentiae oculo, imo etiam reali humanitatis suæ præsentia in eucharistia nobis adsit et invigilet, adeoque sicut cum beatis habitat per gloriam in cælo, ita nobiscum sit in terra per gratiarum effusionem. Quod cum maximum sit beneficium, decet proinde talem constituere illi ædem, quæ cæteras habitationes nostras superet. Propterea Dominus habitaturus inter Israelitas petiit pro domo sua aurum, argentum, gemmas, ligna Setim, pretiosissima quæque, etc. Exod. XXV. Postea David etiam præparavit templi fabricæ impensas totis viribus centum millia talentorum auri, et millies millia talentorum argenti, præter alia necessaria: et tamen quasi hoc parum esset, addit se hæc præparasse in paupertate sua, I. Par. XXII. Causam vero tantæ præparationis assignat ibi cap. ult. dicens: *Neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Quid fecisset, si Deum in eucharistia præsentem corporaliter habuisset in templo, uti nos? Porro templum id extractum est a centum quinquaginta millibus artificum et sexcentis. Quæ omnia declarant, non posse satis exornari domum illam, in qua Deus habitaturus sit. Hinc secuti Christiani tot magnifica templa extruxere, tot fundis et redditibus dotavere, ut etiamnum miretur totus orbis: et merito quidem, quia Deum suum peculiari modo secum in templis habent, personaliter videlicet in s. eucharistia. Quod si gentiles quoque magnificentissima diis suis extruxere templa, uti Pantheon et templum Pacis Romæ; templum Dianæ, quod Plinio teste, l. XXXVI. c. XIV. in Epheso, annis ducentis et viginti extractum fuit, quid non decet facere Christianos ad ornandam domum Domini? Quid?

Apes nos hoc edocent. Ipsæ enim communi labore, regias imperatoribus suis futuris in una parte alvei extruunt, amplas, magnificas, separatas, ut scribit idem Plinius, l. XI. c. XI. Hoc vero cum naturali industria faciant, miraculo idipsum facere ss. eucharistiæ visæ sunt aliquando, cum sacerdos in terram cadens, sacram amisisset pyxidem, apud Jo. Garet. cent. XV. Iterum cum mulier eucharistiam in alveare poneret, apud Cæsar. l. IX. c. VIII. Apes enim e cera perpulchram ei ædificare capellulam. Pu deat ergo nos a brutis vinci animalculis.

Sed fere unusquisque de domo tantum sua sollicitus est, eam adornat, implet, accommodat, ut omnia niteant; lecti molles, argentea pocula, vestes sericæ præparantur, de domo autem Domini, ejus altaribus, vasis, vestibus non curatur, niteantne an sordeant. Adverterat hoc in se quoque David rex qui ait, I. Par. XVII. *Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini sub pellibus est.* Unde et animum mox adjecit ædificandi templum Domino. De hac negligentia conqueritur Aggæus, c. I. *Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? Et quid ad hoc Deus? Resperistis ad amplius, et ecce factum est minus: et intulistis in domum et exsufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, etc.* Quia enim homines de domibus tantum suis solliciti erant, ut ea opibus, et horrea sua frumentis replerent: domum autem Dei nudam et spoliatam reliquerant, apte puniti sunt, ut et ipsi domos atque horrea nuda et inania reperirent. Hoc igitur intellecto Zorobabel cum populo animum adjecit ad restaurandum templum. Nemo fere est, qui hoc tempore non adlaboret ut quam plurimam messem in horreum suum convehat: paucissimi vero cogitant, quid pro gratiarum actione in domum Dei afferant.

II. Quia templum est index religionis et pietatis nostræ: sicut gloria alicujus civitatis vel oppidi est, si publica ædificia sarta tecta conservet, pontes incolumes, vias nitidas, et stratas, etc. Hinc enim Carolus V. imp. urbem aliquam ingrediens ad tria imprimis attendebat, ad templum an ornatum esset, ad horologium, an æquum, ad plateas, an mundæ essent, indeque conjectabat civium pietatem, industriam et honestatem, Corn. in Isai. Ea enim solent homines ornare, quæ amant. Certe videmus in tabernis multorum insignia helluonum, quia tabernas amant. Dicerem et ego te amare decorem domus

Dei, adeoque Deum ipsum, si in templi parietibus, vasis, vestibis invenirem nomen aut insignia tua. Cum quis hortulum sedulo excolit, signum est eum delectari horto: ubi vero urticas eum obruere permittit, censetur eum non amare. Sic etiam videmus multos quantum vis ære alieno obstrictos, profusos tamen esse ad ea quibus delectantur, vestes, ludos, convivia, equos, canes, venationes, etc. in quæ maximas expensas faciunt: ubi tamen pauperi quid dandum vel etiam mutuandum est, statim præterdunt paupertatem, debita, prolem multam, etc. Quæ causa est, cur Dominus nusquam jubeat afferri aliquid templis, sed in libera cujusque potestate relinquat: de qua re protestatur, I. Par. XVII. dicens ad Davidem per Nathan: *Numquid locutus sum saltem uni judicium Israel, quibus præceperam ut pascerent populum meum, et dixi: Quare non ædificasti mihi domum cedrinam?* q. d. præcepi quidem ut pascerent populum meum, nunquam tamen præcepi ut domum mihi extruerent vel ornarent. Propterea, Exod. XXV. jussit quidem pro tabernaculo suo collectam fieri: sed ab iis tantum, qui sponte quid offerrent. Voluit enim spectare Dominus, qua religione homines præditi essent, et quid ad sui gloriam et decorem libere facturi. Hoc insinuat cum Marci XII. *Sedens contra gazophylacium, aspicebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium.* Sic ergo etiamnum ad cœli valvas sedet et induetur eos qui ad decorem domus suæ munus aliquod afferunt. Quare sicut Exod. XXXV. omnis multitudo filiorum Israel mente promptissima obtulit quid habebat pretiosi, in aures, armillas, annulos, dextrariola, etc. mulieres doctæ acupicturas, etc. ita ut Moyses per præconem prohibere debuerit, ne quis ultra quid offerret: quia plusquam necesse erat obtulerant, Exod. XXXVI. sic multo magis decet facere Christianos, siquidem ipsi longe majora beneficia a Deo acceperunt. Sed heu sæcula! Quæ olim majores nostri Deo dedicavere, nunc eadem aliqui eripere conantur. Non est jam necessarius ejusmodi præco qui munera inibeat; necessarius esset qui rapinas et despoliationes sacrarum ædium vetaret. Id quod non obscure monstrat, qualem isti zelum erga Dei cultum et religionem habeant.

III. Quia munificentia erga templa nobilior esse videtur et melior eleemosyna quæ fit erga pauperes. Ita enim S. Chrysost. hom. XVIII. in Acta apost. docet: *Si quid habes insumendum in pauperes, inquit, illuc insume, (in ecclesiam scilicet) melius est illuc quam ibi.* Et ratio est, quia quod datur egenti Ecclesie, datur ipsi Christo

proprie et directe, non interpretative tantum, ut fit cum datur quid egentibus. Cum enim videmus ss. eucharistiam locis et vasis incultis asservari, in templis et altaribus omni decore destituta offerri, quis dubitat Christo Domino magnopere placitura quæ offeruntur ad hoc ut dignius vestiatur, reponatur, offeratur? Pauperes non ita aperte representant Christum, ut s. eucharistia; multi etiam illorum mali et elemosyna indigni sunt: at cum Christum in templo videmus male habitare, quid excusationis præterdemus? Certe Matth. XXV. objiciunt damnandi: *Dominè, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, etc.* quia in pauperibus Christum nequaquam agnoscebant. At quomodo nos excusabimus, si Christum ipsum egere videamus in ecclesiis pauperibus et non vestiamus? Nonne solemus dicere: Quare insaniunt hæretici et quicumque ornatum ecclesie impugnant, cum Juda, qui indignabatur quod Magdalena effudit unguentum pretiosum super caput Christi, dicentes cum ipso: *Ut quid perditio hæc?* Possunt enim dari pauperibus? Reete enim in eum locum Theophylactus ait: *Confunduntur qui pauperes Christo præferunt. Qui abstulerit discum pretiosum et cogit ut corpus Christi in viliori ponatur, præteatu scilicet pauperis, sciat cujus partis sit.* Hæc Theoph. Non dubito, multos nostram sæpe cogitare: O si vixissem tempore Christi, vel nunc Christus apud nos degeret, quam vellem ei servire, quam officiose venientem excipere, tractare, venerari? Vellem ego ei Martha esse et Magdalena, etc. At hoc, o Christiani, possumus si velimus: nam ut hoc possemus inter alias etiam causas puto unam esse, cur in eucharistia nobiscum manere voluerit. Excelluere in hoc genere devotionis feminae imprimis: ut eæ quæ unxere Dominum, hæmorrhœissa, quæ erexit Christo statuam, S. Helena Constantini imperatoris mater, quæ extruxit ei templa splendida et magnifica, S. Pulcheria Augusta, etc. Atque hinc ut arbitror, appellantur ab Ecclesia *devotus femineus sexus.*

IV. Quia cum divitiæ raro ab injustitiæ nota puræ sint non possunt commodiori modo purgari, (cum non patet, quid cui restitui debeat) quam si vel in pauperes vel in ecclesie ornatum aliquid conferant. Quæro enim quare Dominus hodie divitias vocarit *mammonam iniquitatis?* S. Hieronymus, in ep. ad Hedibiam ait: *Quia omnes divitiæ ab iniquitate descendunt, juxta id, quod verissimum putat: Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Hic ergo est gibbus ille cameli, qui impedit ingressum per foramen acus. Inspiciant opulenti opes suas et videant utrum hoc

gibbo careant, et aliqua saltem ex parte non sint dubie conscientie. Dicant igitur cum villico: *Quid faciemus?* Et si dominos ignorant, sequantur ejus consilium, vocent pauperes, adeant ecclesias et donent eis bona, quæ periculose possident. Multi advertunt se viribus paulatim deficere, spiritum difficile trahere, barbam incanescere, scalas difficile trahere, etc. Cur non dicunt isti: *Quid faciam?* Dominus aufert a me villicationem? Faciam ergo mihi amicos pauperes et sanctos. Hæc foret expedita ratio componendi cum Deo de incertis debitis. Solent qui obnoxii sunt debitis incertis, quorum summa scilicet et creditores ignorantur, cum summo pontifice compositionem facere, et incertum quid pro certo dare, quod pontifex ad pias causas applicat, si que illi liberantur a debito. Hanc facere cum Deo divites deberent de mammona iniquitatis; (nam si certa habeant debita, ea restituenda sunt dominis suis) facient autem si huic vel illi pauperi Ecclesie quid applicent.

Est præterea hæc facilis et expedita ratio peccata redimendi. Audiamus testamentum illustris viri Petri Soræ et Arpini domini, ejusque conjugis Dodæ, quo monasterium erexerunt ad honorem B. Virginis in agro Sorano, anno 1030. ex Baronio: « Cœpimus cogitare, inquit, intra nosmetipsos qualiter in peccatis concepti et nati sumus, et qualiter ab infantia nostra, die noctuque horis et momentis innumerabilia peccata commisimus, et qualiter in illo terribili judicio de omnibus factis nostris et cogitationibus Deo rationem reddituri sumus, et qualiter ab illo æquissimo judice unusquisque recipiet secundum opera sua: et rursus dum cogitare cœpimus, qualiter impii et peccatores, qui hic peccata redimere negligunt, in illam pavendam pœnam perpetuo cum diabolo damnabuntur, et qualiter justi et electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur, subito respexit nos divina pietas, et compunctum est cor nostrum cum tremore et æstuatione cordis: et cœpimus cogitare et quærere consilium a sacerdotibus, et religiosis viris, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus, et ab ira æterni judicis et a pœna æterna evadere. Accepimus consilium ab eis: præterquam renuntiare sæculo, nihil esse melius, quam eleemosynarum virtutem, et de propriis rebus et substantiis monasterium construere, et ibidem cœtus monachorum Deo famulantium coadunare, et ibi secundum regulam et normam beati Benedicti laudem Deo resonare, et vota persolvere, et omni tempore pro animabus nostris incessanter orare. Hoc consilium ab eis lubenter et ardentissimo amore

recepimus. Igitur construximus ecclesiam in honorem Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei genitricis et Virg. Mariæ, et tradidimus eam in manus viri venerabilis domini Dominici sacerdotis, et abbatis, et ibi eum abbatem constituimus, ubi monasterium construxisset, et cœtus monachorum Deo famulantium eo advocasset, etc. »

V. Quia magna est merces ejusmodi munificentie. Cupidi et avari solum et totum id perire putant, quod egentibus et Ecclesiis datur. Unde proverbium, cum quid perditum videtur, id est, nihil recuperabis de re tua; perditum est, quia missa in gazophylacium. Sed falsum hoc esse, ostendit multorum liberalissimorum principum contestatio uti et S. Othonis episcopi Bambergensis, qui fundatis a se quindecim cœnobiis, et quinque monachorum seminariis verissime dicebat, se quo plura Deo largiretur, eo ditiores fieri. Non enim perit, quod templo datur, licet id non statim recuperare queas: *Retribuatur enim tibi in resurrectione justorum,* ait Dominus, Luc. IV. quinimo nullibi securius tibi asservatur. Quid enim gazophylacium aliud, quam custodia divitiarum? Neque solum custodia, sed præterea mensa cambii est securi et maximi fœnoris. Solent Indi aurum et gemmas commutare cum crepundiis nostris, crepitaculis, cultris, speculis, ollis, etc. quia nimirum ipsi talia non habent. Et quis cum his mercatoribus non libenter negotiaretur? At possumus hoc pacto cum Deo et sanctis ejus non difficile negotiari. Ipsi enim hic in templis suis indigent opella tua: parati dare tibi, quibus ipsi abundant, dõna multo præstantiora, uti subsidia temporalia et victorias: unde christiani imperatores antiqui ad bella profecturi, prius muneribus placabant basilicas; et illustres obtinere victorias. Quinetiam de Alexandro Magno scribit Plinius, l. XII. c. XIV. eum aliquando a pædagogo Leonide correctum, quod in sacrificando nimium thuris adhiberet; siquidem thus non prius prodigere deberet, quam nationes illas, quæ thus gignunt, adeptus esset. Postmodum ubi Alexander regnum Sabæ obtinuit, misit Leonidi navim thure plenam nuntians ei, vel ideo se regnum id adeptum esse, quia prius erga deos in adhibendo thure tam liberalis fuisset. Otho III. imperator in diplom. dato monasterio S. Vincentii, ait: *Si ecclesiarum Dei curam habere studuerimus, procul dubio imperium nostrum stabile erit, insuper et vitam æternam promereri credimus.* Exemplum de S. Theodolinda, Boiorum principe, regina Longobardorum religiosissima quæ templum D. Joanni Baptistæ magnificum extruxit, refert, Raderus in Bavaria sancta et pia,

p. I. « Memoria proditum, inquit, Constantem imperatorem post hos annos sexaginta Longobardis bellum illaturum, cum Tarentum trajecisset, deque eventu sollicitus hominem solitariam vitam agentem vaticinii laude clarum consuleret, unius noctis petita mora, numine salutato responsum tulisse: Nunc quidem vinci neutiquam posse, reginæ exteræ factum obstare, collocasse eam in Longobardorum finibus Baptistæ basilicam, qui Deum perpetuis precibus appellet, sed futurum aliquando ut templi neglectu gentis exitium consequeretur. Cujus prædictionis fidem res temporum successu firmavit. » Basilii et Eudocia conjuges pro erecto ad honorem Deiparæ templo filium impetrarunt Eudocimum, alii alias gratias. Deinde, quæ ad ecclesiam offeruntur, compensantur etiam precibus et sacrificiis ecclesiæ, utpote quorum ministerio hæc peraguntur. Audi Chrysost. hom. XVIII. in Acta apostolorum: *Preces illic perpetua propter te*, inquit, *laudes et synaxes propter te, oblatio per singulos dies dominicos.*

Deinde, in articulo mortis et iudicio; ubi invenies sanctos illos, quorum ecclesias fundasti, dotasti, ornasti, patronos et intercessores apud Deum. Si enim Judæi commendabant centurionem illum apud Christum, eo quod synagogam eis ædificasset, dicentes: *Quia dignus est, ut illi præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipsi ædificavit nobis*, Luc. VII. cur non et sancti commendarent te ibi apud Deum, si ecclesias eorum struxisti, adornasti? *Si commendatur Domino*, ait Ambros. serm. LXXXIX. *qui ædificavit synagogam, quanto est commendatior, qui ædificavit ecclesiam?* Ut enim Christus Dominus S. Martini vestem produxit dicens: *Martinus hac me veste contexit*: ita facient ibi Christus et sancti, vasa templi et vestes sibi donatas proferendo, et toti mundo ostendendo.

Denique, in æterna beatitudine, quatenus accidentale eorum præmium semper augebitur, quorum ope et subsidio Dei laus propagatur in Ecclesia. Unde S. Chrysost. ho. XVIII. in Act. apost. ait: *Cogita, quod usque ad Christi adventum mercedem habiturus sis, qui altare Deo excitatus es.*

Quare auditores, qui talenta sibi credita ad hanc mensuram dederit (citra damnum tamen propinquorum suorum) profecto ille sapiet, et cum usura recipiet. Moyses, cum populum adhortaretur, ad contributionem pro tabernaculo faciendam: *Quisquis vestrum sapiens est*, inquit, *faciat quod Dominus imperavit*, Exod. XXXV. Quisquis igitur saluberrimum et utilissimum facere cambium vult, næ ille sapiet, qui hoc fecerit.

CONCIO X.

DOCUMENTA.

I. Discunt divites: 1. Villicos se esse. 2. Bene collocare opes. 3. Modum dandi eleemosynam. — II. Discunt pauperes: 1. Fodere potius quam mendicare, mendicare quam furari. 2. Bene vivere et orare pro benefactoribus. — III. Discunt domini et superiores: 1. Lente procedere ad condemnationem. 2. Abstinere verbis amarum. — IV. Discunt subditi et servi: 1. Non fraudare dominos. 2. Nec participes se facere furti. — V. Discunt dissipatores bonorum suorum: 1. Reddendam sibi rationem. 2. Quorsum desinat eorum prodigalitas. — VI. Discunt omnes: 1. Provide omnia agere. 2. Modum componendi cum Deo rationes.

THEMA.

Quid faciam? Luc. XVI.

Verbum sanum et incomprehensibile est hoc, *Quid faciam?* Dirigit enim hominem ad viam salutis æternæ. Sed non omnes amant quærere: *Quid faciam?* Aliqui enim malunt quærere: *Quid sciam?* Uti sunt studiosi aliqui et mundi sapientes qui scire tantum volunt. Alii: *Quid dicam?* Uti aliqui doctores, concionatores et pastores, qui dicunt, et non faciunt. Alii: *Quid fingam?* Ut hunc decipiam, hoc aut illud factum pravum palliem aut excusem? Alii: *Quid credam*, uti Lutherani et Calvinistæ, qui fidem solam extollunt, et unicum ad salutem medium esse dicunt: Opera bona excludunt. Quorum omnium quæstiones mutilæ, et insufficientes sunt. Optima et sanissima illa est, quam hodie sibi proposuit villicus: *Quid faciam?* Sic quæsierunt a Joanne Baptista, turbæ, publicani et milites: *Quid faciemus nos?* Luc. III. Sic a S. Petro et apostolis compuncti illi: *Quid faciemus viri fratres?* Actor. II. Sic Christo Domino Saulus: *Domine, quid me vis facere?* Act. IX. Cum istis ergo potius quam cum illis primis, accedamus nos ad Christum, et quæramus ex illo: *Quid faciemus?* Divites et pauperes, dominos et servos dissipatores bonorum, et denique omnes docebit in hoc evangelio Dominus.

I. Discunt divites, imprimis villicos potius se esse suarum possessionum, quam dominos, patet ex isto evangelio. Primo, quia villici vocantur seu dispensatores. Secundo, quia rationem Domino suo reddere tenentur. Tertio, quia privantur bonis illis ad nutum Domini: *Jam non poteris villicare.* Et certe in mortis articulo omnia relinquenda sunt, quod argumentum est, ea nostra non fuisse; siquidem dominum suum non sequuntur. Hoc voluit etiam in lege veteri hominibus inculcatum Deus, quando Levit. XXV. vetuit

terram vendi in perpetuum, seu in proprietatem, ut vertit Chaldaeus: permisit tantum vendi sub conditione redemptionis: *Quia mea est*, inquit, *(terra) et vos advenæ et coloni mei estis.* Hinc liquet, ut ait Philo, l. de Cherubim, nos alienis uti possessionibus nec quidquam habere proprium, sed usumfructum tantum, dum hi vivimus.

Unde debent primo, divitias non amare, aut quærere sollicite. Nemo enim œconomus valde amat opes domini sui, (quid enim juvat aspectus rei alienæ?) neque etiam desiderat, ut magnas pecuniarum summas dispenset, quia tunc de multis debet reddere rationem. Omnes solent fugere onus tutelæ, quia sciunt, se bonorum pupilli dispensatores tantum esse, et aliquando insperato rationem reddere debere: et opes tuæ magna ex parte substantia sunt pauperum. Cur ergo ambis hanc tutelam? Deinde, large, prudenter et hilariter dispensare debent, quia norunt hanc esse domini sui voluntatem; neque plus sibi e bonis illis arrogare, nisi quantum ad statum eorum honeste conservandum necesse est: sicut œconomus non nisi salarium suum e bonis domini sibi accipere potest. Denique, rationes suas accurate componant, et sæpius examinent; ut omni tempore parati sint reddere rationem, nec valde perturbentur, si a villicatione removeantur.

Secundo, discant consequenter bene collocare opes suas. Possunt enim iis, si velint, ædificare sibi turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, et ita non modo in futuro iudicii diluvio securi esse, sed præterea etiam celebrare nomen suum in omnem æternitatem, verius multo quam ædificatores Babylonicæ illius turris. Sic enim testatur Psalmus: *Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commovebitur: in memoria æterna erit, etc.* et iterum Psal. XL. *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Possunt divites, si volunt, redimere se e purgatorio, vel ignem illum omnino extinguere. Magnas itaque gratias Christo debent, qui docuit eos hoc refugium sibi parare. Gentiles olim Saturnum regem, quod docuerit homines fimo animalium fecundare agros, ideoque Stercutium aliquibus dictum, divinis honoribus colendum judicant, adeoque in deorum numerum retulerunt, Lud. Vives, in schol. ad S. August. l. VIII. de civit. c. XV. Quanto magis extollendus Christus, qui docuit opulentos stercore divitiarum (sic enim eas vocat apost. ad Philip. III.) fecundare agros, id est, sinus pauperum, ut centuplum et amplius fructum colligere ex iis queant.

Quin et modum atque regulam dandi eleemo-
IV. PARS ESTIVALIS.

synam hic docet. Primo ait, villicum convocatis debitoribus domini sui, remisisse eis partem. Sponte ergo et libenter dandum, vocandi pauperes, ut accipiant, noli expectare, donec rogeris; vel voceris tu, ut des. Secundo, ait, eum cito dedisse, dixisseque: *Sede cito, et scribe, etc.* Celeriter ergo da, quia qui cito dat, bis dat. Tertio, ait, non uni, sed multis, singulis scilicet domini sui debitoribus, convocatis aliquid donasse. Non ergo uni tantum vel alteri, v. g. consanguineis, vel civibus, vel amicis, sed ut ait Dominus: *Omnipotenti te tribue.* Quarto, ait, largiter donasse, uni dimidiam, alteri quintam debiti partem. Quinto, ait, de melioribus dedisse, de oleo scilicet et tritico. Non ergo deteriora, non corruptos cibos non acidum et feculentum vinum vel cerevisiam, sed bona da et integra. Sexto, cum discretione ait, dedisse seu remisisse, uni plus, alteri minus, prout sine dubio unus altero plus egebat. Ergo discernendum inter pauperes, ut magis egentibus prius et largius detur. Septimo, non quæsivit vanam gloriam ea dispensatione, quia nec convocavit spectatores suæ donationis sed pauperes dumtaxat debitores, eosque non simul omnes, sed *singulos*, ut ait Dominus, privatim et remotis arbitris unicuique aliquid remittens. Sustentationem tantum suam et refugium quæsivit. Ergo et tu non ad vanam gloriam, sed Dei solius intuitu, in bonum animæ tuæ dabis eleemosynam. Designatæ sunt hæ ipsæ conditiones in panibus propositionis, qui primo, semper expositi erant in mensa. Secundo, seni erant a sinistris, seni a dextris, quia largiendum amicis et inimicis. Tertio, erant duodecim, quia largiter dandum. Quarto, erant de simila, quia de melioribus dandum. Quinto, imponebatur eis sal, quia cum discretione dandum. Sexto, imponebatur eis et thus, quia ad Dei gloriam.

II. Discunt pauperes, primo, fodere et laborare potius quam mendicare, rursus mendicare potius quam furari. Primum enim quod ponitur in evangelio, et quod incidit in mentem villico est fodere: secundum mendicare: tertium fraudare et furari. Sed quia primum non valuit, secundum erubuit, ideo tertium elegit, licet perperam. Ergo primum quod egentibus facere debent, est fodere seu labore et industria victum sibi parare, hoc enim honestum est, mendicitas non caret probo. Ideo enim hic mendicare erubuit. Et propterea Deus, Deut. XV. præcepit: *Mendicus non erit inter vos.* Quod etiam observant civitates et republicæ bene ordinatæ; sunt enim mendici et alii molesti et sibi fere ipsis mali ac reprobi. Non decet ut aliis inferentibus panem in jusculum, alii interim exedant; quod tamen faciunt